

52 TH. BARTHOLINI
India Orientali à Patre quodam Societatis Jesu ad *Fr. Corvinum* Canonicum Romanum planè curiosum allatus, nisi quod ambiguae naturae terras mareque pro lubitu legat, licet in aquis saepius versetur umbilicato ventre & aptis pedibus adjutus. Hujus æmulam figuram non rarè impostores arte effingunt. Pro vero Monspelii ejus generis alius mihi fratrique amantissimo *Casp. Bartholino* monstrabatur.

CAP. VIII.

Scarabæi Monocerotis Historia, ejusque ex Mexicano Autore usus novus.

INferioris classis Unicornu speciem Insectum constituit volatile, quod Scarabæum appellare ausifim. Cornutos Scarabæos duplici eminentia Cervos volantes vocant Galli, ac Belgæ, Germani *Schröter*, quorum cornua chelas potius dicendas arbitratur subtilis *Scaliger* Exerc. 194. numero 2. quia harum usus, ut Cancris, sit brachiorum, contra